



**R. P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère <1543-1623>

Mogvntiæ, 1617

Cap. vlt. De Obedientia, & Inobedientia,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78477](#)

posse recte fieri sine speciali Dei monitione, quemadmodū
notat Suarez in opere de religione tract. 3. lib. 1. cap. 2. nūm. 13.
in quo cap. & in sequenti tertio persequitur de hac re quæ
fuit spe. ulationis scholasticae.

CAP. VLTIMVM.

De obedientia & inobedientia.

SUMMARIUM.

230 Definitio obedientia specialis cum explicatione rationis, qua
distinguitur ab obedientia generali.

231 Inobedientia quædam est generalis, & quædam specialis, scilicet v.
trius, differentia.

232 Deo obediendum est in omnibus.

233 Quatenus obediendum homini, qui superior noster est.

234 Dubium subditum non liberat eum ab obligatione obediendi.

235 Deus potest de omnibus præceptum dare, non item homo.

236 Non est obligatio obediendi in eo, quod constat peccatum esse
etiam tantum veniale.

237 Hinc Superiori in minori obediendum non est, contra præceptum
maioris, nec cum scandalo proximi.

238 Ut obligatio sit obediendi, voluntas Superioris debet exterius
expressa esse mandato.

239 In quibus rebus sit obediendi obligatio; & cum aequales diuersa
præcipiantur, quid agendum.

240 Inobedientia specialis aperte est in confessione, non item
generalis.

241 Inobedientia specialis diuersi modi, & quatenus & exprimi
d. beant in confessione.

230. **V**ltima virtus eorum, quæ ad primum Decalogi præcep-
tum pertinent, est obedientia: de qua D. Thom. 2. 2.
quæst. 10. 4. & Summis in verbo Obedientia. Ea vero defi-
niri potest: virtus quæ facit hominem promptū ad imple-
ndum Superioris mandatum, ut mandatum est. Vbi aduer-
te Superioris mandatum impleri dupliciter: primo materi-
aliter; nempe faciendo simpliciter quod Superior ipse
inungit. Secundo formaliter; nempe idem faciendo ex
motu, quod à Superiori mandatum sit. Quorū mōdo-
rum priore, configuratur generalis obedientia; comple-
tens sub se omnes virtutes, quatenus per eas implemus
Dei & aliorum Superiorum nostrorum mandata: ut per fi-
dem, mandatum de credendo: per speim, & sperando: per
charitatem, & diligendo per iustitiam, & non inferenda pro-
ximo iniuria, & sic de reliquis. Postiore modo vero, con-
stituitur obedientia prout est specialis virtus ab alijs distin-
cta: cuius munus est ut homo, tuim illa quæ ceterarum vir-
tutum sunt, tum alia de indifferentia velit facere hoc no-
mine, quod sicut à Deo, aut ab alio suo Superiori mandata:
ita ut facere aliqua, & ad alias virtutes pertineant, siue simili-
bus virtutis, sed indifferentia de se sint, non sp̄ctet ad obe-
dientiam: nisi ea intuitu facias, quod sicut à Superiori man-
data. Vnde in tradita definitione (ut propria esset specialis
obedientia) addita est illa reduplicatio ut mandatum est.

Sicut autem obedientia ita inobedientia quedam est ma-
terialis ac generalis; & quædam formalis & specialis. Nam
dupliciter potest quis esse inobediens: uno modo materia-
liter, quando scilicet simpliciter neglegit facere ea quæ præ-
cipiuntur: scilicet constituitur generalis inobedientia, co-
npleteens in se omnia virtutia, quibus contra Superiorum man-
data peccatum. Quod peccatum in re levie veniale est; in gra-
ui autem mortale, non tam distinctum ab alijs: sed idem
cum unoquoque eorum quæ per perpetravit singulorum præ-
ceptorum transgressione. Altero modo potest quis inobe-
diens esse formaliter; ut constetur esse quando non præstat
illud quod à Superiori mandatur, quia non vult mandato
ipsius subesse; & ita constituitur inobedientia formalis: quæ
est speciale vitium, distinctum ab alijs, & oppositum obe-
dientiae formalis; semperque censetur esse grauissimum pecca-
tum mortale, cum semper habeat amplexum formalem &
expressum Dei contemptum in mandatis ipsius: aut in mā-
datis aliorum Superiorum, qui ab ipso autoritatem habent:
iuxta illud Lucæ cap. 10. Qui vos audit, me audit; & qui vos

spernit, me spernit.] Item illud ad Röm. 13. Qui potestati
refluit, Dei ordinationi refluit. Unde ea solet quoq; dici in-
obedientia ex contemptu: indeque peccatum esse mortale
confat per postrem regulam earum quas tradidimus in
precedenti lib. 15. cap. 7. De eadem autem discerunt plenius
D. Thom. & Caet. 1. 2. quæst. 10. 5. & Summularij in verbo
Obedientia, atq; alij qui tractationem instituunt de peccatis
capitalibus facientes superbiam filiam. Sed sufficiet ut ad-
damus aliquot documenta utilia ad cognoscendū in qui-
bus teneamur vel non teneamur ex obligatione obediare no-
stris Superioribus. Alia vero quo magis propria sunt Speci-
ficationis scholasticae, quam nostri instituti, ei qui nosse volet
suppeditabit Leonat. Lessius De iust. & iure libr. 2. cap. 4. 6.
dubit. 4. 5. & 6.

Prius igitur documentum est: in omnibus obedi-
endum esse Deo. Nam impossibile est aliquid iniquum à Deo
præcipi: cum aliquid eo ipso bonum sit, quod cadat sub di-
cīnam voluntatem, quæ est prima retributio regula: neq;
de hoc quisquam dubitet.

Secundum est, Subditum teneri homini Superiori suo,
obedire in ijs omnibus & solis, de quibus non constat cuius-
ter, quod sicut contra præceptum Dei aut alterius Superioris,
eo qui præceptum dat maioris, & cui obediendum sit; vel
certe quod sicut talia, quæ excedant limites potestatis, &
authoritatis in subditum ipsum. Hoc D. Thom. in cit. quæst. 4.
art. 5. tangit. Et confirmatur: quia quod in omnibus ijs, sub-
ditus teneatur suo Superiori obediere: confat aperte per
Christi mandatum Matth. 23. Omnia quæcumq; dixerint vo-
bis, seruate, & facite. Quod solis vero: quia idipsum Christi
mandatum, & quodvis simile (quale est illud ad Coloss. 3.
Filij obedire parentibus, per omnia) sic intelligendum est,
ut retineatur illud Act. 5. Obediere oportet Deo magis quam
hominibus. Quo quidem significatur non esse obediendum
in ijs quæ constat esse contra voluntatem Superioris præemi-
nitoris.

Advertendum autem est circa hoc documentum: ut sub-
ditus obediere teneatur, non esse necessarium ut videat intel-
ligatq; bonum esse, & intra limites authoritatis sui Superio-
rit contineri illud: quod sibi præcipitur; sed sufficere, ut nō
sciat euidenter illud esse malum, aut contineri intra dictos
limites. Nec enim ad officium ipsius pertinet tale quid in-
quirere: sed potius ut motus sola autoritate Superioris sui,
persuadeat sibi bonum expediensque esse facere id quod
præcipitur etiam si non videat quare & quo modo bonum
expediensque sit. Quia in re constituitur obedientia cæca in
spirituali vita tantopere commendata. Pro qua aliquot San-
& Ordinum Patrum authoritates adferunt Gregor. a Valen. 2. 2. dis-
put. 7. quæst. 3. puncto 2. Pro eaque facit illud ad Hebreos
13. Obedite præpositis vestris & subiacete eis: ipsi enim per-
uigilate, tanquam rationem pro animabus vestris reddituri.
Quibus verbis Apostolus indicat ad Superiores maxime spe-
care, ut per uigilium seu videant quid nos agere expediat,
bonumque sit: tanquam iij qui in die iudicij reddituri sunt
pro nobis rationem de ijs, quæ ex ipsorum præscripto fe-
rimus.

Tertium documentum est: subdit dubium de eo quod
præcipitur, an sit malum, aut extra limites authoritatis, quæ
præcipiuntur habet in ipsum non impedit quoniam illud te-
neatur obediere. Ratio est, quia ipse potest dubium depone-
re, per adendo sibi rectum esse præceptum Superioris, quā-
doquidem non constat ei euidenter de contrario: nihilque
obstat, quin statuere possit se non petere, imo potius se te-
neri satiatisfacere obligationi obediendi, quam illud imponit:
cum iuxta precedens documentum, Superior habeat ius im-
perandi omne id quod malum esse, aut extra limites autho-
ritatis ipsius esse non constat euidenter: atque in casu dubii,
melior fit conditio Superioris tanquam constituti in posse-
ptione sua authoritatis: ipseque existimari debeat recte præ-
cipere, quamdiu non constat de contrario, iuxta capit. Quid
culpatur. 23. quæst. 1.

Quartum documentum est: Nihil esse extra limites di-
uinæ authoritatis & prouidentiæ: ideoque simpliciter in o-
mnibus obediendum esse Deo. Extralimits vero humanae
authoritatis generaliter esse (quod recte explicat D. Thom.
in eadem quæst. 10. 4. art. 5.) tum ea quæ sunt contra Su-

perioris

232.

233.

234.

235.

terioris eminentioris mandatum: tum ea quæ pertinent ad animam, ut actus pure interiorum: tum intellectus, velut credere aliquid, aut sibi persuadere aliquam opinionem: tum etiam voluntatis, velut amare hunc vel illum: han vel illum intentionem habere. Itemq; ea quæ pertinent ad naturam corporis: sive quoad speciei propagationem ut generatio prolixi: sive quoad conseruationem individui, ut sumptio cibi, vel potus. Ratio est, quia in his natura tanquam eminentior potestas, tollit subiectiōnēm: in illis vero alijs, eandem tollit improprietate humana potestatis ad talia bona. Quæ improprietate quoad pertinet ad animam, patet ex eo quod secundum illa perficeret hominem, potestatis sit Dei, intima illius penetraatis ac possidentis pleno iure.

Aduerte tamen, quinque posse subditum suum obligare ad actum interiorē, qui non fuerit purus sed exteriori admixtus: hunc enim præcipiendo, consequenter & secundario actu eiusmodi præcipere potest. Sic in cap. Dolentes de celebr. Missarum, Ecclesia cum recitatione horarum canonicarum, præcipit interiorē deuotionem & attentionem in illa seruandam. Aduerte etiam dictis non obstat, quod Religiosi teneantur suis Prælatis obediēre in materia castitatis: & quod Ecclesia præceptū det de ieiunio. Illud enim fit ex accidente propter emissum à religiosis votum castitatis. Illud vero non est, quod Ecclesia simpliciter prohibeat emsum & potum ad individui conseruationem necessarium; sed & comedendi modum præscribat: quod non excedit limites humanæ potestatis, intra quos, vel loco cit. habet D. Thom. continentur omnia quæ per corpus agenda sunt: hoc excepto, quod secundum eam quæ ad naturam corporis pertinent, homo soli Deo subiiciatur.

236. Quintum documentū est: Si id quod præcipitur peccatum esse etiam tantummodo veniale, subdito constiterit, nullatenus est obediendum: quod patet ex cap. Literas, De restitutione spoliatorum §. Porro & ex cap. Quid ergo, n. qu. 3, quod procedit etiam Superior ipse puto, nullum peccatum esse, ex Sylu. in verbo Obedientia num. 5.

Similiter cum duo Superiorēs præcipiant opposita, non esse parendum minori contra præceptū maioris: sed prætermisso minore Superiorē, parendū esse maiori. Sic in rebus Ecclesiasticis contra præceptū Papæ, non est alteri Superiori parendum. Hoc fatus patet ex secundo documento: & traditur à Panormit. ad cap. Inquisitioni De sent. excom. num. 5.

Sextum documentū est, quod ex codem Panormit. refert Sylu. loco cit. non esse obediendum Superiori præcipiēti aliquid quod constat censurum in scandalum ut detrimentum notabile aliorum innocentium, etiam si præcipiat sub excommunicatione. Nam tunc per caretur in proximē.

237. Septimum documentū, quod ex D. Thoma habet Sylu. in codem verbo Obedientia quest. ultima) est hominem non teneri obediēre voluntati sui Superioris, nisi ea exteriorius expresse vel tacite illi per mandatum manifestetur, etiam si inferior sciat Superioris sui voluntatem esse, ut sine

mandato obediat. Ratio est, quia voluntati Superioris, etiam Dei, non obligamus nostram, conformage nisi cum fuerit præcipiens vel prohibens, ut declarauimus in præced. lib. 13. cap. 7. Non est tamen negandum quin sit perfectior obedientia facere voluntatem Superioris antequam manifestetur mandato, quam expectare donec mandatum det de eo quod fieri vult.

Octavum documentū est: Inferiorem in omnibus & solis teneri suo Superiori obedire, in quibus illi subest, inferiorē est, ut seruus domino in ministerijs seruibus: filius patri in rebus domesticis, miles duci in rebus bellicis, & sic de alijs: de quibus in particuliā dicendum est in seq. libr. 19. Ibid D. Thom. habet 2. 2. quest. 104. art. 5. Ex quod id referens Syluester in verbo Obedientia num. 10. adiungit du- biū. Quid agendum sit in casu quo duo superiores æquales p. accipiunt eidem subdito res oppositas: ut si militi qui subditas est suo duci, & suo patri; dux aliquid præcipiat quod non potest impleri sim: cum eo quod pater præcipit. At ergo tunc ceteris paribus obediendum esse ei qui præcipit in ordine ad nobiliorem finem: ideoque si æquale de tributum oritur in re domestica & in re militari, potius esse obediendum duci quam patri: quia ille præcipit in ordine ad bonum commune, quod nobilius est bono particulari vnius domus.

Nonum documentū est: In confessione exprimendam esse inobedientiam formalem, non in materialem. Illa enim peccatum est à ceteris distinctum: eas; aggrauans mandando speciem, hæc non item: cum tantum sit conditio quædam inclusa in omni peccato, hoc ipso, quod est contra præceptū Superioris.

Cum autem ut obediēntia sic inobedientia formalis quædam sit erga Deum & quædam erga homines: hæcque adhuc sit varia pro varietate Superiorum (quædam enim est omnium qui sunt de Ecclesia, erga Summum Pontificem; quædam eorum qui sunt de diecesi, erga suum Episcopum, quædam eorum qui sunt de Parochia, erga suum Curatum: quædam religioforum erga suos Prælatos: quædam vasallorum, erga dominos: quædam filiorum erga parentes) dubitari potest. An necesse sit in confessione expresse declarare, cuiusmodi ea fuerit: an vero sufficiat absolute se de inobedientia accusare. Qra de re approbadum videtur quod habet Gregorius à Valen. 2. 2. disput. 7. quest. 3. sub finem, quoniam necessarium non sit id declarare tanquam circumstantiam, quæ mutet speciem exprimendam esse tamen, quando sic notabiliter aggrauat malitiam inobedientie intra suam speciem: ut nisi aperiatur, Confessarius non videatur sufficienter intelligere statum animæ Pœnitentis, ad fungendum debite suo munere: sive in imponenda pœnitentia, sive in remedij aduersus peccata futura adhibendis. Atque hæc hactenus de ijs quæ faciunt ad declationem pœnitentis iudicandi de peccatis

in ordine ad 1. Decalogi præceptum.